

Quanquam quid attinebat vnum hoc referre, quum huius formae exempla nusquam non sint obuia? |

## LB 77 SECVNDA VARIANDI RATIO

125 Huic admodum affinis est secunda variandi ratio, quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua quae praecesserunt per se queant intelligi, singulatim ea quoque commemoramus per quae ad eum exitum peruentum est.

Huius praeceptionis hoc erit exemplum: 'Cicero Catilinae conatus oppressit'. Id ita locupletabis: 'Catilinae nefarios conatus per  
130 iuuenes perditissimos totius Romanae ciuitatis exitum atque internecionem molientes, M. Tullius Cicero consul sua sagacitate statim odoratus est, singulari vigilantia peruestigauit, summa prudentia deprehendit, miro in rempublicam studio prodidit, incredibili eloquentia conuicit, grauissima autoritate repressit, ar-  
135 mis extinxit, magna felicitate sustulit'. Item aliud: 'Ex ea virgine filium sustulit'. Hac ratione dilates licebit: 'Eam virginem, quod esset singulari forma, misere deperibat. Deinde amoris impatiens, simplicem puellae animum promissis sollicitauit, muneribus corrupit, blanditiis deliniit, officiis in mutuum amorem pellexit,  
140 improbitate vicit, denique consuetudinem cum ea habuit ac deuirginauit. Aliquanto post tempore vterus virginis coepit tumescere, foetu videlicet concepto. Demum exactis nouem mensibus parturiit ac puerum peperit'. Item aliud exemplum: 'Vrbem cepit'. Ita poterit ampliari: 'Principio faciales rem repetitum mis-  
145 si, qui pacis etiam condiciones offerrent. Quas cum oppidani non acciperent, copias vndique comparat, machinarum maximam vim comportat, admouet exercitum vna cum machinis ad vrbis moenia. Illi contra e muris acriter hostem repellunt. Tandem hic superior in congressu, conscensis moenibus, vrbem inuadit ac re-  
150 rum potitur'.

## TERTIA RATIO

Ab hac rursus non ita vehementer abhorret tertia locupletandi sermonis ratio, quoties rem non nudam exponimus, sed altius etiam causas repetimus, a quibus initiis sit profecta. Veluti si cui  
 155 non satis sit dixisse, bellum intercessisse Gallis cum Neapolitanis, verum etiam addat, quae fuerint simultatis causae, quis instigator, quae suscipiendi belli occasio, quae vincendi spes, quae vtrisque fiducia. Hoc ut est dilucidius quam ut egeat praeceptione, ita difficile sit exemplum nisi plurimis verbis proponere.  
 160 Quare supersedebimus, et lectorem ad Salustium ac Liuium relegabimus.

## QVARTA RATIO

Nec admodum discrepat ab his quarta locupletandi ratio, quoties non simpliciter proponimus negocium, sed enumeramus etiam illa quae negocium comitantur vel consequuntur. Quod genus sit:  
 165 'Bellum tibi acceptum feremus'. Hoc pacto poteris ditare rem: 'Exhaustum in barbaros milites aerarium, fractam laboribus iuventutem, proculcatas segetes, abacta pecora, incensos passim vicos ac villas, desertos agros, euersa moenia, compilatas domos,  
 170 direpta phana, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indigne constupratas, tot adolescentium licentia deprauatos mores, tantum funerum, tantum luctus, tantum lachrymarum, praeterea extinctas artes, oppressas leges, oblitteratam religionem, confusa diuina humanaque omnia, corruptam ciuitatis disciplinam, vniuersum, inquam, hoc malorum agmen  
 175 quod ex bello nascitur, tibi vni feremus acceptum, siquidem belli fueris autor'.

D'a  
 per arri  
 sadorne  
 è comi  
 tra i Ga  
 di ostil  
 quale l  
 sto è p  
 propon  
 diamo

E ne  
 tutte le  
 chiamo  
 Que  
 modo p  
 barbari  
 nati, pe  
 torie, al  
 tazioni,  
 ni, tant  
 tanti de  
 lutto, ta  
 la religi  
 della ci  
 guerra  
 guerra.